

prius è regionibus magis ad meridiem vergentibus, ubi & quando inibi visus fuerit Cometa, certior fieri desidero. Quamvis interim non leves sint conjecturæ, quibus ob ☐ ♃ ♄ post ☉ & ☽ proximam, aliásq; causas, incunabula Cometæ in 7 Decembris incidisse putantur.

CAPIT. IV.

DE LOCO COMETÆ

quem primo apparitionis

ille tenebat.

Hic veniam mihi dabunt eruditi, si rem acu non semper tetigero, destitutus quippe talibus instrumentis, quorum beneficio monarchis Astronomiæ Cælum quotidie patet in rapinam, ut loquitur laudatus Dn. L. Müllerus, filari saltem extensione Cometam ad stellas fixas vicinas reducere, & ita longitudinem ejus & latitudinem rudiori Minerva resciscere coactus fui.

Die 9 Decembris horâ post meridiem octavâ, cum à cœnâ ad astrilustrum accessissent Auditores mei, conspiciebatur Cometa in asterismo leporis, circa priores ejus imaginis partes, tanto infra stellam in capite interstitio, ut inciderit ferè in intersectionem duarum linearum, quarum prior à capite leporis, ad australiorem duarum in posterioribus pedibus ejusdem ducitur, altera per utramq; stellam sequentis auris in lepore ducta, usque ad priorem lineam in cœlo mente continuatur, quamvis à posteriori lineâ aliquantulum declinaverit, & propiùs ad ortum accesserit Cometa, sed non adeò sensibilibiter.

Hæ stellulæ cum in eadem sint longitudine paucissimis tantum minutis variantibus, dum videlicet superior in 13 gr. 11 min. II inferior in 12 gr. 58 min. II hoc ævo existit, Cometam nostrum in 13 gradu 10 II propè constitutum fuisse monstrant. Nam differentiam longitudinis, quam arcus distantiae aliquantulum obliquior causare potuisset, declinatio Cometæ versus ortum compensare videbatur. Quod latitudinem ejus concernit, poterit illa datâ vel assumptâ saltem hâc longitudine, cognitoq; situ Cometæ prædictis binis stellis in lepore καὶ ἐν Δείαν interjecti calculo trigonometrico enucleari hoc modo.

In pro-